EXEMPLAR LITERARUM HAGA [!] SCRIPTARUM A MAGNATE QUODAM...



Interpres Lectori.



Amus hîc tibi, Lector optime, Gallicum quoddam scriptum sermone non Gallico. Magni alicuius viri est, & è magno sanguine; viro itidem missum planè magno, sed Caluinistæ, & in istâ parte facilè principi. Scripsit vixdum Catholicus pro Catholicis; vt ne Theologum hîc exspectes, & è pulpito argutantem. Ingenio tamen ac iudicio, quod scholæ mirentur: stylo deinde, quo Cicero loqueretur, si esset Gallus: modo denique, nouo quidem, sed optimo; quo duci ingenuè possint ad conspectum veri quicumque non indignæ origine suâ mentis homines, Nobiles, Heroës, Principes. Atque vtinam illam vnà traducere licuisset elegantiam & energiam, quæ in Gallico est.

Interim gratulare mecum veritati, quisquis es; cui hoc lucri faciunt tot hodie ipsius hostes, vt iam nobiles quoque & martiales viri, neque adhucdum egressi penitus castra falsitatis, pugnatum pro illâ veniât nouis armis, non suis armis; non pugno tantùm, sed etiam pennâ. Attendite huc quicumque vos illustres natu, & intendite; si è plebe aut populo venientium voces dedignamini; si suspecta vobis eruditorum ratiocinia tamquam sophistica; eccum Martis filium, heroum stirpem, vestro vobis ore loquentem, vestro more; nullâ boni commodiue exspectatione nisi vestri. Quâ ad illum ianuâ lumen venit, & vobis veniet, si admittetis, si similes eritis, hoc est, verè nobiles, & seriò potiùs quàm serò sapidi. Quem enim verè generosum ánimum non pudeat-pigeat ancillari sectæ tam ignobili, tam nouæ, tam infami? Nisi ignobilis esset, non adeò coniuratum iret in excidium vbique Regum, Principum, imò regnorum, principatuum, etiam suorum. Dicat Britannia. In Batauiâ sane Nobiles iam obscuri sunt, & post Caseos latitant. Verùm, quid abeo? Illud monitum volebam te, Lector, vel maximè, ne intempestiua tibi ac præpropera videatur sagacissimi viri huius de Caluinismo conclamatio, quòd iam nunc quasi reuirescere videas eorum in Germania alibiùe res (nam Hungariæ Dominari Mancipium Turcicum Caluinistis facit ad rem) crede mihi; non est, quod vides; non reuirescunt. Poloniam aspice, Galliam, Belgium. Pergit Deus esse catholicus: pergit esse pro terræ regibus, quos ipse posuit, Cœli Rex. Sed quò euidentius fiat, cui causæ faueant Superi, quam propugnent, semiputatam Hydram sinunt, imo volunt recapitescere, in easque vires se recolligere, quas nemo superet, nisi cui fulmen telum est. Et illa verò Stelli-montana victoria numquid opus erat Excelsæ Manus? Perficiet, qui cœpit; nihil hæsita. Maximarū rerum partus sunt difficillimi. Animalium vastissimum & homini proximum Elephas decennio nascitur. Putas Imperatorem istum -

gere Deus possit tam diligentem sui, tam timentem? tot item alios in Catholicâ Reges, Principes, certatim nunc & è condicto pios, iustos, optimos? Nam quod vsquam vmquam sæculum adeo ferax optimorum Principum? Itaque; quòd paululum nunc ipsa sibi blanditur Hæresis, feramus; mox viderit, quàm sit vanum. Sic quoque pullis euenit, cum iugulantur: accepto lethali vulnere, tamen erigunt se, & cum impetu moliuntur gradum, sed ilicò (nulla deinceps vitæ spe) relapsuræ. Vt cum sonitu pereant eorumque memoria, qui cum sonitu nati sunt.

Fac, Deus; & tu; ô Lector, voue, viue, vale.

Nota, scriptorem subinde Caluinistas *suos* dicere, subinde *Catholicos*; quippe medium adhuc, & abeuntem modò ab illis, hos adeuntem.

N. N. N. N. S. D.



Vm semper hactenus liberè tibi, Illustrissime vir, fortiterque amicus fuerim, & obsequio seruus; vtpotè secta conueniens, & cui supra modum curæ ac cordi fuerint & tua ipsius salus & rerum, quas ab illâ pendere videbam, conseruatio; non me facturum putaui pro debito, si celare pergerem, quę se mihi aperuerunt hic, quoad nostrarum in commune rerum statum & habitudinem. * * * *

Quapropter, cùm sit euidens, & iam in oculos palàm incurrat, postquam à centum ferè annis hactenus adeò steterint nostræ res & in flore fuerint, effloruisse mox; ac tandem factum esse Deum Romano-catholicum, omnisque vbiq; nostra manifestè *In peius ruere, ac retro sublapsa referri*; statui mecũ, priusquã ruina maior ingruat, & credi possit, metu me, nõ voluntate trãsiuisse, sine morâ dedere me (quod & feci) instituendũ fide Romanâ seu Catholicâ: te quoq; ad hoc ipsum inuitare, quã possem, amicissimè; cũ effugiũ aliud nullũ pateat, quo te salues. Neq; enim fieri potest, quin iritatis adeò tot Principibus, tota deinceps in te vnũ moles ingruat, allatratis vndiq; nostris & impugnatis, vixque aliquid in suam ipsorum opem potentibus, tantùm abest, vt in tuam. Conspirat enim quasi ex composito tota in nos Gallia & in excidium trahit, fortunâ secundante conatus. Ipsa nunc quoq; Hispania se reformat in melius, serioque sapere cœpit, instituta cõsiliorum ratione ac modo certiore, quàm vmquam hactenus, cum agendarum rerum tenens ordinem, viamque capiens, quâ plus efficiat tribus modò deinceps annis, quàm potuerit totis hactenus quinquaginta. Imminuta Protestantium

stantium res potentiâ, milite, existimatione, etiam apud suos ipsorum subditos. Imperator, & Austriaca simul cum illo tota reuixit familia, auctior viribus & auctoritate, quàm vnquam hactenus, succollantibus in vnum Bauaro, Saxone, Principibus Ecclesiasticis, qui non nisi in illorum verba iurant nunc, & seipsos præbent in forcipes, quibus suas illi castaneas (vt est verbum) è prunis eruant. Concussa Hungaria: Excussus Bethlemius. Veneti facti pro tempore ad Imperatoris & Hispani pedes, canis accubans. Sabaudus ibi animum habet, vbi filius manum: maximus eius natu ad pacem natus est: ipse pater in Galliam intendit oculos, callidus vti dissidio illius & turbis in rem suam, & subigere Gebennenses: quidquid interim aliud ab hoc præ se ferat motus armorum eius. Inferiorum Saxonum fracta audacia, laxati loculi, ad reponendum Palatinum parum mentis, animi minus. Anglus Hispanizat egregiè & fauere pergit. Bataui ab illo derelicti; in triuarias secum ipsi factiones dissecti; pleni hostium domi, foris. Gallia nostra eorum minimè satagens. Quæ deinde spes, quod solatium rebus nostris priuatis, publicis? Coëunt animis, qui rerum potiuntur; & , quidquid eueniat, arroso pede vel alis, Palatinus ope soceri inueniet pacem. De te deinde quid rerum fiet? Non es nescius, quæ fortuna S. Pauli comitem secuta sit. In te illum transmigrasse creditur hisce artibus, & in te quoque eadem vltio omnium consensu, illius exemplo destinata est; te vnum communis opinio follem loquitur, vnde spirentur auræ suscitatrices ignium, qui ardere cœperunt, interim pupillo rege, in Galliâ, in Bohemiâ, in Christianismo: Timor & tremor venerunt super socios vestri fœderis. Princeps Auraicus mox consenuerit, præter annos canitiem properantibus curis & suspicionum stimulis, quibus se lancinandum sine fine, miser tradidit; cinctus vtiquè & vndecumque vallatus acerbissimis inimicis, excubantibus in omne momentum ad vltionem Barneueltij: tum (quæ sollicitudinum ei bona pars) anxius, ne quà gloriam suam bellicam & nomen inuadat auferatque felix hactenus & semper victor Spinola; nunc quidem milite coronatus, & armatus copijs, quales aut quantas vnquam antea nec Albanus neque Parmensis, cæterique in vnum Belgici Gubernaculi tractatores eduxerunt. Ipse populus harum prouinciarum, ex quo per inducias libera fuit mutua hinc inde commeatio, errorem posuit de Hispanis, sumtum fraude Ministrorum perpetuisque mendacijs, ad rauim vsque clamantium: *crucifige, crucifige*, quos iam quidem satis ipsi viderunt oculis suis viuere cum indigenis, ridere, pacem habere, comes erga ipsos & vrbanos esse, primosque (quod dici solet) cum manu ad pileum: prouincias quoque regias (ita nunc ibi regimen est) dimidio, quàm ipsi quotidie premantur, minùs vectigalibus, exactionibus sollicitari: Archiduces ipsos Regemque pios, iustos, optimos, nemini inaccessos; promptos quoque, conscientiarum (vt ipsi vocant)

cant) Libertatem permittere; tantùm abest, vt ingèrere velint inquisitionem; quæ ipsa nunc quidem crudeliùs exercetur in Holandia contra Catholicos & Arminianos, quàm aduersus Hæreses apud Hispanos.

Quid ergo factu opus est? Dicam verbo: equidem non aliud, Illustriss: Domine, quàm vt opportunè portum ineas, & cum fortioribus, quippe melioribus, stare incipias: vt exemplo vtaris Henrici quarti, Dñi Desdiquierij, iunioris Rosnij: vt in commodum tuũ & honorem vertas ruinam nostrã eorumq;, quos habemus hactenus, factionis socios, tui quoque ipsius & status proprij; cui iam, nisi caueris, fossa fouea est, in quam incidat. Si pro tuâ illâ prudẽtiâ, quâ es maximâ, circumspicere cœperis & expedire te, nihil video, quod impediat, aut obijcere difficultatem possit, in te potiùs deinceps, quàm hactenus in me: hoc est, si virtutem feceris de necessitate: id, quod erit non sine laude & applausu iucundaque congratulatione Principum; quorum nunc consilium, tua subuersio. Quin enim? quando sectæ nostræ certum axioma est, saluari quemque posse quauis fide? Quod si ita sit quid nos teneat, quo minùs ilicò in eam transferamus nos, cuius & melior species, & maior gloria; quæ securior animæ, nobis ipsis, rebus quoque nostris & liberis? Suaderem ego aperire paulatim ostium Iesuitis ad concionandum subinde; quod iam fecisse te audio cuidam N.; prohibitis interim à conuitijs in Ministros aut sectam; sua modò pronuncient, articulos Romanæ fidei, eorumque demonstrationem. Deinde, gradu facto, sinere quoque, vt catechismum instituant Iuuentuti Catholicæ; nullo interim in quemcumque vtriusuis religionis edicto vel interdicto de adeundo: ne quà scilicet primâ se fronte prodat propositum tui animi. Tum porrò admittere cœperis & Cappucinos, binos subinde & binos, hoc est, paulatim, assignato aliquo in rem sacram sacello. Appareat amare te illorum simplicitatem & veram paupertatem: prædicabis homines sine re in hoc sæculo, sine spe; quorum nihil Mundus interest; tamquam verè illos *propter Christum stultos*? de quibus Paulus. Tales vtique deprehendi eos, & magistros habui; qui docuerunt me & optimâ methodo duxerunt ad veritatem, clarâ, facili; nullâ disputationum turbâ vel strepitu. Dicam nunc breuiter, quæ circa me sunt, quid acciderit: neque dubito; iudicabis mecum, fidem eorum magis esse probabilem: si quidem patienter accipies, & veniam dabis amori æternùm in te meo, sincero, germano.

In primis ad Missam quod attinet, rem ipsam (vt libet) nomina; nihil refert: sacrificium est Iesu Christi, quod offertur Patri: quod demum agitur, vbi consecratio peragitur. Quæ præmittuntur, pro dispositione faciunt; vtpotè preces quædam, pronunciationes quædam Scripturarum, verba Sanctorum: pariter & quæ sequuntur: in argumentum vtiq; reuerentiæ Mysterio debitætam sacrosancto; tum ad impetrandum, quæ nobis opus

sunt,

sunt, à Christo Iesu ibi præsente; & per ipsum ab æterno Patre, cui offertur. Vocabulum quidem (Missa) inde natum est, quod absoluto iam actu sacrificij, admittebantur in templum Catechumeni; qui, vtpotè nondum baptizati, eoque tamquam profani, olim arcebantur à sacris. Ex eo igitur, quod diceretur: missa (siue, dimissa) est turba (putà fidelium) quò deinceps intelligerent Catechumeni, iam sibi permissum esse in templum aditum, in vsum transijt vox in ore vulgi, vt iam missam dicerent sacrificium, cui turba adstiterat, quæ est missa. Porrò, date nomen quodcumque; certè Catholici, cùm exactè, idque, quod res est, loquuntur, esse reuera sacrificium & sentiunt & loquuntur. Illud autem ipsum numerandum quoque venire, & cum primis quidem, inter Ecclesiæ genuinæ veras notas & certos characteres, vel Propheta clamat, vbi clamat: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Atqui sublatus in crucem Dominus, quâ fecit hostiâ, secundùm ordinem fecit Aaron, hoc est, cruentâ; nec nisi semel: in pane verò ac vino, secundùm ordinem Melchisedech, in æternum. Quippe qui, nisi panem & vinum, numquam obtulit. Si igitur, prænunciante Prophetâ, Iesus Christus (cui Domino patris sui dixit Dominus) sacerdos erit in æternum, euidens erit consecutio, & ipsum quoque æterni sacerdotij sacrificium esse æternum. Id quod in Ecclesia Romana videmus ab ipsâ vsque eius infantiâ, nullâ hactenus cessatione, celebrari. Neque argutijs hîc vllis aut cauillis opus: Liquida Scripturæ sententia est; fore illic (in Christi Domo) sacrificium in æternum (vsque ad consummationem in terris illius Domus) atque hoc ipsum in pane & vino. Etiam Malachias trahit in hanc fidem: *in omni* (inquiens) *loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* In omni loco: non igitur in sola cruce. Aduersus hoc verum, ita me nuper docere solebat magisterium falsi: quomodò sacrificari iterum poßit nunc, quod iam olim semel & satis credimus oblatum? Abrahamum obtulisse filium suum in sacrificium in confesso est, etiamsi numquam immolauerit, hoc est, ceciderit. Nemo negat. Quo minùs igitur (ducto in contrarium argumento) qui semel moriendo immolatus est, poterit tamen offerri deinceps etiam non occisus? Denique, quorsum iam aut vbi æternum illud in pane ac vino sacerdotium, prophetarum & facto præsignatum & vocibus; si non huc, si non in hoc? Aut cassum fac & sine veritate vaticinium. Sanè vehementer ineptum est, adeò moliri homines, adeò moueri per omnes effugiorũ angulos susq; deq;, quò elabi poßint, aliquo sophismate ab hac strictura; vbi Dei verbum tam simpliciter enunciat tã manifestè. Ad me quidẽ quod attinet; esto, omnis mihi in armis vita, non in libris iuerit, nodum hîc tamen non magis video, quàm in scirpo. Illud autem quàm est ridiculum ita loqui, qui sibi corculi videntur, dum aiunt, non possum capere; quomodò tot vnà per omnem terram locis præsentare

tare

tate corpus suum possit Christus,& ita mutare. Dixit Dominus: *Hoc, quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* quotiescumque: nulla exceptio est. ergo, cùm Angelus dixerit: *non erit impossibile apud Deum omne verbum:* quid excipitis? Incarnationem Ministri credunt,& benè faciunt; verùm, an comprehendunt? virginem Deo carnem tribuere; matrem fieri, & esse virginem? Credis vnum; quid fugis alterum? vtriusque par incomprehensibilitas. Vti igitur non eò tibi desinit vnum esse, quod verè est, quia non capias; neque alterum tibi desinat esse, quia non capis. Non poterat Aristoteles comprehendere septemplicem illum dietim Euripi fluxum atque refluxum; in eumque tandem, impatientiâ ignorantiæ, se dabat præcipitem: & adhuc, vt antè, Euripus fluit. Atqui Ministelli nostri nimirum sunt, de quibus æquum dicere: plusquam Aristoteles, hi! Stringere volunt Dei potentiam & includere limitibus intellectus sui nimis angustis. Audiant igitur vt sibi dictum: *qui scrutator est Maiestatis, opprimetur à gloria.* Quæ opera fidei vel quæ laus, si non credis, nisi quod videas? De Thoma quid legimus? Cui non credenti fixuras, quia non viderat, (nec ideò tamen fixuræ non erant fixuræ) credenti deinde, postquam tetigerat, & incredulitatem suam corripienti quid ait Dominus? *Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Nisi viderint Ministri nostri & tetigerint, non credent. Id, quod me captiuum fecit Catholicismo, illud fuit, quòd viderem, iam olim Christum ijsdem illis obiectionibus respondisse, quas nunc Ministri protrudunt. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum, sanguinem ad bibendum?* Christus respondere nolens (id tamen, quod Ministri nostri semper, vt fiat, exigunt) ita simpliciter respondit: *amen, amen* (quasi peremtoriè) *nisi manducaueritis carnem Filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quid hôc dici possit clariùs? Quo ad glossas hic aut Ministros recursu opus est? A meipso sumsi consilium, & mecum statui; non oportet curiosum esse, & scire velle, *quomodo:* Docti viderint, & pro nobis rationem reddant poscentibus. Nouimus scilicet, quomodo pulcro in speciem integroque pomo vermes insint, vnus, plures, aut videmus! bona verò consecutio: non eos ibi videmus; ergo non ibi sunt. Aut crede Mysteria & mirabilia, quæ ab ore suo benedicto protulit Veritas Incarnata? aut crede, non Incarnatam: hoc quidem illo facilius. Vbi porrò panis ille Melchisedech, & vinum, si non hic; in sacrificio (inquam) nouæ legis incruento? vbi illud manducare carnem, bibere sanguinem (quid velis expressius?) si non hîc, in Eucharistia Catholicorum? Ecce, militis sententiam quoad hunc articulum!

Ad cærimonias deinde quod attinet; mimici gestus Caluino sunt, & histrionum ineptiæ. Itaque Caluino etiam Christus inter eos vnus est. Nam & ille, non quidem tum sacrificium oblaturus, sed operaturus nudum miraculum

raculum, quorsum cærimonijs vsus est, vt surdum sanaret? Non enim satis habuit clamare: *epphetha (adaperire)*. atqui satis erat clamare, vt imperiū vocis aurium sanitas sequeretur: nihilo tamen minùs *apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius; & exspuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Epphetha; quod est: adaperire.* Apud reges terræ magnis venerationum signis agendum est, multis præambulis. Iudæi quoque, & ipsa vetus Synagoga sic agebant erga Deum: inspice, quæ apud Metenses etiamnum sunt istius sectæ homines ornamenta sacra, poderes, tunicæ, lampades, atque istiusmodi cætera. Quo alias symbolo discerni à minoribus possint magnates, nisi honorum titulis & submissionum gestu, quibus eorum excellentiam testantur homines & prosequuntur? Faciunt vtiq; illa debiti cultus exteriora symbola, vt magis vereamur, quem sic reueremur, & excitemur interiùs. Certè, nihil in hoc negotio, iure bono quod accusemus. Si quis irrepit abusus, vbi, quæso, non aliqua semper rima superstitioni pateat & vltra metam excessui? Neque vacat idiotæ, neque possibile est, vt discat omnia: satis est, magistrum habeat in vicibus, qui respondeat pro illo; qui offerat, ritu, quo oportet. Hîc ille stare didicit, huc inniti, satis habens de cætero adhibere cor rei, quæ geritur, & ipsum hoc externis honorum indicijs profiteri; esto, subinde vel nimio peccet studium venerationis. Ecclesia deinceps istiusmodi colentium intentionem admouet fini suo, & promouet apud Deum. Eum puta in modum, quo aduocati solent, qui non omnia agunt aut proferunt coram iudice, quæ fortè rusticus aliquis cliens inculcauerit (fortassis enim causæ potiùs obsint) sed cum reuerentiâ multâ congruisque honorum ritibus & loquendi formulis adeuntes tribunal, etiam diuersa subinde, imò & aduersa loquuntur, quàm rogati sint; eo quidem rei successu, vt sententia veniat pro voluntate supplicantis; licet non ratione, quā ipse voluit; imò, quâ pro se acturos illos planè non sibi persuasit.

Obstupui centies ad hanc nostam stoliditatem, quâ duobus potius vnâ in vrbe ministris fidem nostram prostituerimus, quos negotijs sæcularibus implicant mille curæ, vxor, liberi, peculium, res domestica; quàm myriadi religiosorum hominum, quos habent Parisij, viuentium sine coniuge, prole, alijsque istiusmodi sollicitudinum turbis; vno quopiam eorum in eadem quaque familiâ satagente, quæ ad corpus pertinent, cæterorum opus omne omnisque opera destruendæ falsitati, astruendæ veritati, formandis moribus, (verbo dicam) animabus mortalium in cœlum cogēdis desudat. Obsecro, per Deum, vtrius partis maior securitas; horum, qui se reformatos dicunt; an illorum, qui se nihil noui dicunt? Certè, species omnis bona & probabilitas vndecumque magis stant à Catholicis. Nobis enim si cœlum patet è Psalterio rhythmizato quiddam subinde cantillantibus; quo

 non

non illos potiùs hiatu valuarum excipiet, ſuper hoc, plenos operibus bonis, onuſtos fructu quotidiani ſacrificij, crebri ieiunij, prædicationum, catechizationum, orationum, pſalmodiarum, inſtauratis toties in dies diuinarum laudum canticis; concurrente populo, quibus libet, & quibus per negotia licet? An non iſtic animi maior tranquillitas; certior ad ingruentiam mortis ſubſidiorum ſpes, & pręmij poſt illam atque ſolatij? Agè, confer ſingulatim cum illis & tracta fidei quemuis articulum: dabunt ſcripturas, allegabunt Patres; antiquitatem proferent.

Illud verò, quàm vel vnum valere poterat ad expugnandum me! Sumſi Biblia in manus, vt apud Iudæos ſunt, & adhibui eiuſdem gentis, qui verbatim exponeret. ibi tum comperi, mutaſſe Catholicos nihil; noſtros omnia, quibus quidem animaduertere poterant ſe conuinci. Planè, vt ad oculum euidens mihi factum ſit, laxare legem eorum in libertatem meram ſeu viuendi licentiam omnia; in horum verò demum veram ſemitam (ipſo quoque teſtante Domino: *arcta eſt via, quæ ad vitam ducit*) ieiunia, & cilicia, ſpōtanea pœnitētiæ cauſâ ſupplicia, confeſsiones cum gemitu, paratam ad Eccleſiæ nutum obedientiam, pſalmodias, conciones, catechizationes, aliaque ſexcenta talia, adeò quidem, vt veſtram habeam pro merâ quadam viuendi licentiâ & concupiſcentiæ claſsico (vt nihil mirum ſit, ita ſtatim omnibus viſam amabilem, & quam totis vlnis amplecterentur, vtpotè ſinentem, ſi non iubentem, quæcumque deſiderat carnis cor: cuius vna maximeque inter alias ipſius ſeuera regula: viue, vt lubet; fac, quod vis. Nihil facilius enim, quàm defluere ſecundùm aquam, & ſequi quemq; paſsiones ſuas & innatos carni affectus, ſatis alioqui trahentes ſeſe met ſponte & impellentes: ſed vt pugnes cum aquæ impetu, eumque ſuperes, hoc opus, hic labor eſt; vt figas teipſum, & ad anchoram religes tua iſtiuſmodi deſideria, ad anchoram mandatorum Dei, Sponſę quoque illius, & rationis ipſius naturalis. vt habeam (inquam) omnino veſtram tamquam viuentibus & valentibus perquàm iucundam; ſed terribilem morientibus. Fatendum eſt verò, neque diffitemur, næuos aliquos (qui eſſent verè, vel eſſe putarentur) hæſiſſe toleranti, ſed nō probanti Romanæ Eccleſiæ: ſed illi plurimum aut deterſi ſunt; aut ſaniùs interpretando, à calumniâ vindicati. Religioſorum Ordines ad originis ſuæ faciem reformati ſunt: puniuntur delinquentes, ſi poſſunt; aut, ſi non poſſunt, tolerantur à piâ Matre cum gemitu, redditurì rationem & pœnas Deo in mundo altero. An, quia nequam erat Iudas (ô quæ illa quantaque, non iam næuus idiotæ alicuius & ab ignoranti ſimplicitate ſuperſtitio: ſed enormitas in principe populi & immanis turpitudo!) reprobanda doctrina eius; Coapoſtoli deſerendi? Pariter omnino, quòd improbi ſubinde ſacerdotes aliqui ſunt & vitæ deuiæ; quòd incautior

tior ſermo prolatus haud iuxta germanam religionis noſtræ ſententiam; non eſſe tanti debebit, vt ilico reſpuamus ſanæ intentionis & orthodoxæ fidei Romanam Eccleſiam; vt eſſe monachos nolimus, quorum in eâ tam ſine numero numerus eſt ſobriè, iuſtè, piè viuentium? Quòd adorare Papam ſe dicunt Catholici, quid mali dicunt; imò quid noui; ſi mentem audies ſic honorantium, & honoris modum? Adorare ſe dicunt; hoc eſt, venerari. Quid minus Scriptura dicit, etiam antiqui temporis, cùm Abrahamum, mox & Loth narrat Angelos adorauiſſe pronos in terram? Iſtiuſmodi minutiæ ſunt, aut nugæ potiùs, quas exquirere Miniſtri, & maledicendi ſtudio denarrare ſolent, petitas à moribus iam defuncti ſæculi: quò ſcilicet implerent ſagenam ſuam (an ſaginam?) & regnum ſtatuerent. Iam mundus eſſe pro grue deſijt: ſatis eſt explicuiſſe ſe Eccleſiam, & facti ſui rationem dediſſe: noſtrum deinceps acquieſcere. Turpe ſanè & iniquum eſt, audere filios pro ſuo cerebro corrigere Matrem, & velle, vt mutet ſuas hactenus agendi loquẽdi formulas, quas didicit Abrahamo agente, Scripturâ loquente; imò neque Matre dignum, vt in eiuſmodi ipſa vel audiat filios. Nihil æquior cenſura, quæ vexat Imagines. Neque enim contra Decalogum earum vſus eſt. Præcipit quidem: *non facies ſculptile*: ſed addit, explicans: *vt adores illud*. Profectò bene brutos æſtimant Miniſtri noſtri Catholicos, qui credunt eos, aut credi volunt, papyrum, lignum, lapidem adorare pro Deo, aut cultu proſequi debito ſoli Deo. Imò potiùs, Religioniſtas ipſos pro magis brutis haberi puto à ſuis Miniſtris; vt quibus illi ita egregiè norunt illudere, perſuaderi ſinentibus, Catholicos tàm eſſe vitulos, vt ſic credant. Ipſe Salomon Angelos ſculpi iuſsit, & in templo Dei poni; iuxta Arcam: non tamen, vt Deum, adorandos. Quis non videt, Catholicos (nullo quidem Imaginum, vt tales ſunt, contemtu vel probro) ſuâ quandoque manu diffringere eas, cùm opportunum eſt; & iterum, cum opportunum eſt, venerari? documento vtique ſatis manifeſto, non haberi ab illis pro Dijs.

De Reliquiarum ſanctorumquè cultu idem negotium. Honor duntaxat eſt & veneratio quædam, ſicut Imaginum. Honorari Reliquias, antiquum. Documenta non profero: rogandi docti; dabunt ſatis. Orantium inclinatio coram Imagine, Chriſti, puta, vel alicuius ſanctorum, teſtimonium quoddam eſt coram eo, quod illos nobis repræſentat, religioſi officij; dum interim cor & animus ad Chriſtum aſcendunt, aut quempiam ſeruorum eius fidelium, hoc eſt, amicorum, tamquam iſtic in imagine ſui præſentes; pro impetrandis huius gratiâ, illorum ſuffragio. Ad Principis ſtatuam, ad nomen regis genu curuamus, nudamus caput, oſculamur epiſtolas: ceſſemus ad Dei? Non, quòd impendamus cultum in terris Deo debitum; ſed quoniam monimentum eſt, quo monemur; occaſio, quâ excitamur, ob ſimilitudi-

nem

nem aut mentionem, vt signo aliquo testemur ardens in nobis animi studium ad obsequendum illi semper quocumque modo,& profitendũ supremum dominium,quo nos habet & possidet Dominus Deus noster, & *Rex magnus super omnes Deos*;fiducia spei nostræ,protector noster, & adiutor in necessitatibus in tempore opportuno.Tolle Imagines tot passim obuias in vijs & compitis, quantum sustuleris piorum animi in Deum motuum, suspiriorum,excursuum;quò illæ excitant sui conspectu?Tituli sunt,erecti causâ memoriæ;ad hoc ipsum ab Ecclesiâ saluberrimè instituti,vt omni loco,omni momento oculis nostris occurrentes,memores reddant (vt v. g. Imago Saluatoris crucifixi) acerbissimæ passionis; vbi tum ilico tanti amoris monimento concussa non impij vel ingrati hominis mens æstuet;& exclamet:ô mi Iesu,qui in cœlis habitas:ego Peccator quotidie, & operarius nequam coram te:per illum ego te pretiosum sanguinem,quem à tantâ caritate in ligno Crucis effudisti propter me;dele iniquitatem meam,& miserere meî. In impositas igitur vijs aliisúe locis cruces quid stomachari?Redemtionis nostræ symbola sunt,& insignia. Tot illo periculorum in omnem horam,quibus vndique vallamur,incursu,crucem ostendi, quid aliud,quàm moneri,quoties videbimus,vbi positam habeamus spem; attollendos in cœlum oculos, inde petendum subsidium,& expectandum? Non igitur sunt Imagines,nisi honorabiles quædam & in vtilitatem nostram institutæ memoriæ.

Exprimere manibus signum Crucis,eoque frontem,pectus,omne corpus munire,tam est nouum,quàm ipsa Ecclesia.Nondum illa cunis excesserat;ita factum, constat. Non video, quo suo merito abroganda salubris cærimonia,tantæ ætatis.

Historiæ multæ,quæ leguntur apud Catholicos, & reuelationum libri non tantum habent continuò fidei debitum,vt non cuique liber maneat & ab Ecclesiæ censurâ securus dissensus,assensus.

Superstitiosa quędam in vsu vulgi,& modos quosdam loquendi parum proprios non probat Ecclesia,sed accusat;aut,si quo sano sensu accipi possunt,in eum explicat. Itaque, si quid istiusmodi in alicuius Rhinocerotis nasum forsan impingat, nullo certe ob hoc bono iure traduci possit Ecclesia;non magis,quàm magister aliquis aut herus,ob discipuli sui vel famuli, imperiti fortè, stupidi, aut etiam maligni factum imprudens,quod vel improbat ille,vel,satisfactione datâ, excusat.

Inuocantur quoque Sancti;non, quòd Ecclesia necessarium dicat procurandæ saluti:aut præter Christum,qui vnus Mediator est & Aduocatus pro nobis apud Patrem,alios statuat.Non illa mens eius vel intentio. Sed quò verecundiores & à maiori submissione ascendant preces nostræ, testes adhibemus debiti nostri & quasi vades aliquos;cum impudens planè sit &

indig-

indignum,ita temere ac sine fronte procurrere velle ad iritatum Iudicem; vt cuius tot tantisque quotidie peccatis nostris sanguinem quid nisi proijcimus & conculcamus? si apud Indos Mexicani cognoscere poterant, quantus esset Christianorum Deus, ex eo, quòd adeò Cortesium Proregem suum venerari viderent & inclinare se ad obuios quosque religiosos & sacerdotes, qui non nisi serui essent ipsius Dei; quis nostrûm (obsecro) qui minùs vtique bruti sumus, aut esse volumus, quàm siluaticum istud genus hominum, non ilico iudicare poterit, honorem, quem deferri notamus sanctis tamquam Dei amicis, redundare in ipsum; cùm non adeamus nisi ob maiorem Numinis reuerentiam, & per eos ad ipsum aditum impudentem minùs, minùs trepidum? Itaque sanctos in cœlis positos orat Ecclesia, non, quia necessarium sit; sed, quia congruum & magis vtile. *Vnus mediator Dei & hominum Iesus Christus, interpellans apud Patrem pro nobis*; illos rogamus, vt pro nobis apud Filium sint, ipsum Mediatorem. Non aliâ causâ, modo, vel fine hæc tota res agitur. Omnes Ecclesiasticæ solennes preces, cuiuscumq; demum sanctorum imploremus suffragium, hac clausulâ terminantur: Per Christum Dominum nostrum. Vt, exempli causâ, in hac: Deus, qui animæ famuli tui N. æternæ beatitudinis præmia contulisti; concede propitius, vt, qui peccatorum nostrorum pondere premimur, eius precibus subleuemur: vel: vt quod nostris precibus non valemus, eius patrocinio assequamur: Per Christum Dominum nostrum. Quid hîc, quæso, vel Momus inueniat, quod iure carpat? Nec enim aduersarium Christo puta, eiusúe meritis, quando non nisi per ipsum petimus & obtinemus, quidquid amicorum eius cum ipso regnantium subsidiariâ interpellatione petimus & obtinemus. Si, quisquis rogatur à nobis, vt oret pro nobis, ilico nobis cum iniuriâ Mediatoris Christi mediator est; quomodò quotidie vel quâ fronte facimus hoc inuicem apud superstites Caluinistæ; aut fecit Paulus, cuius quotquot Epistolæ sunt, eius, quod dicimus, testes sunt? Viuentium apud Deum valeant intercessiones mutuæ; neque Christo iniuriæ sint: eorum, quos adhuc peccatorum quotidianæ deformant rugæ & maculæ; qui etiam, cùm stant, videre monentur, ne cadant; qui sic Deo amici sunt, vt ilico fieri possint (vtinam sæpius & non fiant!) inimici: & eorum non valeant, quorum iam animæ totæ pulchræ sunt, & in æternum sponsæ sine maculâ? quorum in portu meritum, in certo caritas, in tuto salus, sub pedibus cœlũ, in manu prēmium, in oculis Deus? Neque cogimur tamen, vt inuocemus: modò, ne fiat contemtu. Ipsa quoque Mater Ecclesia totis septimanæ (quam vocant) sanctæ diebus tristibus nullum Sanctorum solenniter inuocat. Ecce, quam adeò Ministri nostri declamant, idololatricam! Si, quod inter viuentes ritè fieri neque nostri negant, & loquuntur Scripturæ, posse negas ad alios; conuincent eædem ipsæ Scripturæ. Apud Ieremiam Prophetam non

 parum

parum manifestè Deus insinuat, Mosen & Samuelem, iam olim è viuis sublatos, orare solitos pro populo Iudæorum. Alibi & ipse quoque Ieremias narratur à fide dignissimo visus, *orare multū pro populo isto, & ciuitate sanctâ Ierusalem*. Raphaelem archangelum historia Tobiæ ita de seipso loquentem inducit ad ipsum Tobiam: *quando erabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos*, &c. *ego obtuli orationem tuam Domino*. Itaque non nos nesciunt aut negligunt, qui in cœlis sunt, qui sublimes habitant domos, & cum Raphaele astant ante Dominum: inde nos audiunt; inde respiciunt; inde curant. Denique omnis hoc Apocalypsis loquitur; cœlestes illos spiritus & beatorum animas notitiam habere, curaque tangi eorum, qui in terris sunt. Non sibi displicere verecundum hoc inuocationis à nobis officium, satis testatum facit, qui operatur mirabilia magna solus, quando eam signis prosequitur, & miraculorum ob intercessionem inuocati sancti patratione consignat. Quid adhuc dubitamus, sine causâ penduli; quid hæremus? Certus hic mihi character, & Ecclesiæ veræ nota nusquam numquam fallax, miracula tot ab initio apud eam hactenus, tanta miracula. *Qui credunt in me*, (upud Ioannem Christus ait) *opera quæ ego facio, & ipsi facient, & maiora horum* (his) *facient*. Quid hîc iam, magni scilicet thaumaturgi, Ministelli nostri (quorum Magistri ingens aliquando miraculum, ex viuente mortuus)? Signa (inquiunt) quæ sequi debebant Euangelium prædicantes, vt sunt, Dæmoniorum expulsa, infirmorum sanatio, illuminatio cæcorum, ceteraque talia, nullo fine alio sequebantur, quàm ad demonstrandum vnici saluatoris Christi aduentum, & exstirpandum inveteratam gentium idololatriam. Iam, promulgato satis in omnem terram Euangelio, nec opus illis, nec locus est. Sic illi inquiunt: sed magnus Augustinus non item sic; qui in libris, quos inscripsit de ciuitate Dei, quæ non signa commemorat diuinaque miracula illius ipsius sui temporis in Africa patrata, In Italia, alibi, ad Stephani reliquias, ad aliorum; annunciato tamen vbique etiam tum aduentu Christi & credito, superstitione conuictâ? Neque cessant adhuc, Dei munere, apud Catholicos. Obijcientibus, fieri auctore Diabolo ad confirmationem erroris, iam olim ore suo Christus respondit, simili quoque impetitus blasphemâ calumniâ, cùm audiret: *in nomine Beelzebub dæmonia eijcit*: *Omne regnum* (inquiens) *in se diuisum desolabitur*. Cùm miracula promiserit Deus in argumentum manifestamque & sine fallaciâ designationem suæ, hoc est, veræ Ecclesiæ; eaque quotidie nostris oculis præstari videamus in Romanâ, non item in aliâ; quis non intelligat, si quid intelligat, hanc esse veram, nec esse aliam præter ipsam? Si autem aliquando contingat, non exigi statim Diabolum exorcismis aut imperio sacerdotis, quæso, ne ilico calcem impingamus Ecclesiæ vel ipsius ministro, hunc indignum clamantes, illam adulteram. Ipse Apostolorum primas Petrus, vbi fortè Dæmonium non

potuisse

potuisset eijcere, ad Magistrum recurrebat tamquam reum promissi non præstiti. Sed quid audijt? *Hoc genus Dæmoniorum non eijcitur nisi in oratione & ieiunio.* Ita res habet: semper penes Ecclesiam stat victoria; ocyus ea tardiusue veniat, hac viâ vel istâ; donec innotescat scilicet, è qua pharetra sagittas promat inimicus, quibus pugnat. Tandem excutit eum siue exsecrationibus, siue alterius modi armis, pro conditione subiecti magis accommodis, vt sunt orationes, ieiunia; quando iam inde (è diutina possessione per Diabolum energumeni, dilataque expulsâ) fructum extuderit Deus, quem voluit; vt putà, maiorem aliquam veritatis manifestationem, aut etiam potentiæ, quâ donauit Ecclesiam (permittendo nimirum aliquantisper inimico liberiorem vsum suarum virium & peruicaciam, ad vltimum tamen cessuro ad violentum illius & super humanum efficax imperium. Nam quò fortior aduersarius ac durior, eò validior sit oportet, qui expugnat); aliudúe simile ad instructionem nostram: vel etiam, quia exspectat Deus, donec completa sit malitia eius, qui tenetur, aut videtur teneri, si (quod subinde contingit) ex composito geratur res & pacto cum ipso Dæmone; vel quia sic congruat ad occupati correctionem, probationem, meritum; vel denique, vt occasio fiat abusibus quibusdam cognoscendis & emendandis, in quos abeunt quandoque imperitiores minusúe probi ministri in exorcizandi modo contra sensum Ecclesiæ ac voluntatem, curiositatis alteriusúe rei vitio. Cantantibus interim pro more suo Diabolo & illius familiâ, & ante victoriã triumphãtibus; sed Deo tandem (vt vt fiat) ipsiusque Sponsâ vincentibus & hostem detriumphantibus. Illius enim verè demum victoria est, qui vltimus consistit in acie, & vacuâ solus dominatur arenà. Eò gloriosior Ecclesia, quò plures habuit conflictus, quò grauiores, quò ab hoste potentiore, quò longiores. Quibus dum eam omnibus superstitem videmus, & illustrem tot hactenus tantisque feliciter confectis certaminibus, quin ilico currimus ad illius potiùs, quàm alterius vllius, signa victricia, eique nomen damus, & obstringimur sacramento? quam vnam ipsi nostris oculis probatam videmus, vt aurum igne, ferro, lapide; nullo iam nobis metu reliquo, ne fallamur, vt hactenus, illâ mendaci specie & inani laruâ veritatis?

Quòd nobis probro vertunt cultum Virginis, tamquam idololatræ in eam simus; viderit, respondeatque archangelus Gabriel, qui ita primus Mariam allocutus est: Aue, gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus. Quid enim aliud loquimur (inquiunt Romani) ad Matrem Domini? nisi, quod idem sæpius subinde, ad certosque, non sine mysterii notatione, numeros; aut explicatiùs etiam, & fusiori sermone: exundantibus vtique non immeritò in tantæ feminæ laudes animis, eique congratulantibus de tanta per Deum castitate, sanctimonia, gloria, de tam beata fœcunditate

cunditate, quâ ex omni hominum numero hanc vnam dignari Maiestas voluit, vt Hominem-Deum perditæ tot iam sæcula genti Virgo-Mater proferret. Congratulantibus (inquam) in eaque benedictum illum sanctissimi ventris fructum honorantibus, ac simul rogantibus, vt suâ nobis illum intercessione potentissimâ reddat propitium. potentissimâ verò: quid enim non possit apud Patrem Deum Mater filij Dei, & sponsa vnica; in cuius vtero, è cuius sanguine, opifice S. Spiritu, fabricatum corpus, vnde nostræ deinde redemtionis pretium effunderetur? Te hîc iam appello, vir Illustriss:, ad te prouoco; impingere possunt, qui in hoc ambulant isto duce? errare, qui tantum facti sui magistrum referunt, sequuntur auctorem? an accusari meritò, quasi de suo agant, cùm sic agunt; cùm Trinitatis solenni Nuncio præcinenti dulce laudis canticum læti succinunt: inofficiosi vtiq; futuri, imò ingrati, nisi beneficium prædicando agnoscant, quod acceperunt? ô, sanè pij felicesque Idololatræ, qui, Angelo docente, tales sunt!

Porrò in Ecclesiastica sacra Concilia quoties ab illis, & quo dente sæuitum est? Atque ideò meritò tandem & in hac ipsa quoque Batauiâ ad Synodum aliquam tamquam ad Sacram Anchoram, & vnicum extremumq; mali, quòd nunc in eorum viscera grassatur, remedium prouocatum videmus & decursum. quod quidem quàm bellè cum eo congruit, quod adeò hactenus inculcarunt semper & ingeminarunt pro concione; quidquid ad salutem facit, abundè, & plusquam satis, clarissimisque sententijs Scripturam loqui, adeò vt nihil istic intellectu difficile, nihil quod non feminæ, rustico, puero promtum capere, penetrare, exponere. Sed quo fructu? Parturiunt montes: nascetur riduculus mus, verè ridiculus. Hic ego demum aperire oculos & videre cœpi, & habere persuasum, fore, vt in cæteris quoque fidei nostrę litigatis articulis, si instructionem admitterem, haud dubiè deprehenderem (deprehendi etiam, Dei munere) non nisi præiudicijs, præoccupatis animis, affectibus ex proposito auersis aduersis, hostilibus tumultuosis maledicis & sine causâ sine mente clamoribus à nostris in Ecclesiam, è quâ lacerato matris vtero, viperarum more, prodierãt, fuisse pugnatum. ab illâ verò è contrà causâ optimâ, armis valentibus, solidisque pro veritate ratiocinijs amicè, leniter, piè, nec nisi studio salutis oppugnantium repugnatum. Hæc in summâ Ministrorum nostrorum scientia maxima est (si non sola) negare fortiter, dum conuincuntur. Ita nimirum breuiùs acta res & minori dedecore, quàm si cesserint veritati, eaque se victos (vt sunt) fateantur. Igitur eorum voces sunt, quando stringuntur: apocryphus est iste liber; falsa historia; næuus hic erat Ecclesiæ iam tum (ante quindecim sæcula) nigrescentis. Effugium quæritur, in aliud sermone distracto; sophisma ingeritur: argutiæ, cauilli, nugæ quæruntur. Non sic magistro-

rum

rum ille Magister noster, non sic: quidquid interrogatus esset; breuis, solida, nuda, nec affectati acuminis veniebat responsio; facti sui modum discipulis assignantis in documentum: *Exemplum* (inquit ad ipsos) *dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.*

Meliùs alij rationem tibi reddent horum omnium, Illustriss: vir, tractantes omnia singulatim & demonstrantes auctoritate Scripturarum, testimonijs Antiquorum, naturalis quoque rationis assensu.

De Purgatorio Catholicorum sententia tam est vetus, vt etiam Iudæi Metenses affirmauerint aliquando mihi, non aliter etiam sensisse maiores suos: vnde solennis etiamnum inter eos ritus est, non admitti in synagogam defuncti cuiussuis liberos toto septiduo; sed ad ingressum subsistere hærentes vestibulo, donec interim tertio quodam in loco excorporatus recèns spiritus priùs fecerit satis, quàm in Abrahæ lætum in limbo sinum recipiatur.

Orare pro mortuis Augustinò nota res non vt recens: probant Concilia: etiam Synagogæ in vsu fuit ante Christum: Iudas Machabæus tam certæ pietatis vir *sacrificium offerri pro his, qui ceciderant* & *orari* iussit, vt *à peccatis soluerentur.*

Synodum suam Gommaristæ (an Gomorrhistæ?) adeò sacrosanctam habent & haberi volunt, coactam illam, verè coactam, hoc est, violentam, & sub præside gladio: vbi nullum auditum suffragium, quod non vxor probasset, & è lecto veniret ad pulpitum. Et stulti tamen Catholici, si ad Conciliorum suorum vocem, Pastoris vocem in pastoribus aures arrigunt, animos submittunt, quæ trecentorum, imò sexcentorum subinde Episcoporum, aliorumque prætereà sacerdotum (qui sunt sicut filij excussorum, liberi à curis, re, spe mundi huius, & expediti) concursu legitimè celebrantur.

Ab vno disce omnia: vel vnius demonstratio ad ferendum in cætera iudicium satis sit. Meum non est, qui sum miles, referre singula, & astruere: Cappucini facient, si voles, docti vt sancti; & illa quoque Barclaij Parænesis elegantissima: documenta proferent è Scriptura, è libris veterum; quibus nihil resistere pòsit, nisi dura ceruix & philautiæ filia proterua contumacia, promta magis ad manifestam lucem oculos claudere, quàm vel latum vnguem cedere de sumto semel temereque præs[illegible] phantasmate. Tot nunc opiniones vndique in lucem prodeunt, & mundum susdeque voluunt, infertæ tricis & ridendis merè argutijs, in speciem tantùm vel potiùs vmbram veri, vt occasionem sibi faciant Ministelli multiplicandi verba, non, quod res est, loquendi: Inter quæ sanè quantùm distet, etiam videant, qui nihil vident. Non hic opus est iudice, nisi ipso Naturæ sincero lumine. Indignum est sanè vtroque nostrum, nec minùs indecorū

(vt n-

(vt postmodum animaduerti) qui hominum opinione prudentes sumus, & animo manuque viri, adeò fidem alligare velle ac dare mancipem fluctuantibus istis & imbecillis ingenijs rabularum digladiantium ob minutias:ne dicam,studium omne, nomen, vitam,animam denique ipsam impendere id genus hominum nugarumque professioni & patrocinio. Plus annorum nobis est,quàm vt ita deinceps insaniamus. Non audiendi statim quicumque causidici,diserti quamlibet & expediti in omnem partem de quauis causâ,etiam pessimâ,dicere scribere vero-similiter. Verba dant, qui verba faciunt:non credendum temerè locutuleijs. Nullus error tam alienus à vero,tam ineptus,qui non assertores inueniat & patronos,qui Protei more, quacumque strinxeris,illabi elabi nôrunt, instructi semper ad dicendum aliquid,quamquam in speciem tantùm sit,& (quod aiunt) Deus in cælo,baculus in angulo. Ministris quidem nostris satis est, vt ne coram nobis obmutescere videantur,& nihil habere,quod reponant. Sed interim nos penes esto iudicium in ea,quæ dicunt;an ex vero, solidisque ratiocinijs,an futilibus tantùm & ad fugam aptis ijs,qui tenentur.

Ecce,quod inter cætera impulit me,vt in Religione mutarem sententiam; vt iam dicam,eam,quæ Romana vocatur, esse præ omnibus probabilissimam,securissimam,& manifesto Numinis fauore, curâ,ope illustrissimam;quippe solam tot iam inde ab infantia sua sæculis in hunc vsque diem toties & tantâ hostium mole impugnatam,nec expugnatam, sed integram semper,fortem,& floridam,suisque ipsam vulneribus virescentem. Hæc illa Petri Nauicula iactata fluctibus, agitata furijs irati maris,& sæuientium vndique procellarum insultu, surgentium vsque ab inferorum Portis ventorum quasi ludibrium;en tibi, quàm consistit, quàm in tuto nauigat, & conscia vectoris sui,certaque subsidij ridet etiam tam in exitium sui,si quâ perire posset,destinatas machinas? Ipsa nunc res palàm loquitur,habere protectorem Deum. Castigatur subinde,quia diligitur: sed ipsa demum virga,correcto iam populo & ad pœnitendum accincto, quid nisi ignem exspectet,cui sit pabulum? Respice in Arrianos;quorum, si tres aliquot quatuorue Episcopi fuissent,omnia fuissent;vbi nunc aliqua tantę grassationis vel particula? Et tamen in summum euaserat mundi solium; Imperium tenebat potentissima Hæresis. Vbi tot aliæ sine numero gliscétium olim sectarum classes? Quasi non fuerint. Vbi tandem & ille Lutheranismi vigor ac flos numquid euanuit vt plurimū,& in Caluinismum abijt, seu veriùs degenerauit, velut in elephantum morbum pestis Veneris; vt & ipse tandem (qui proximus ordo corruptionis est) in Turcismum, in Atheismū Caluinismus? & ipso deniq; nunc Lutheranismo Deus vt instrumento quàm mirabiliter tàm euidenter ad euersionem vsus est Caluinismi. Et ille quoque quid nunc agit tam antè paulò ferociens, & erectis in

sublime

sublime cristis etiam cœlo terribilis?Cadere cœpit;hoc est: cadet. Iam per omnia videre licet,factum Deum Romano-Catholicum: Nobis interim sensim euanescentibus,& paulò pòst cum Arrianis in nocte,è quâ prodiuimus,& inter scruta futuris. *Oportet hæreses esse*,teste Buccinâ veritatis: sed *vt probentur electi*;& *vincat veritas,cùm iudicatur*. Quippe vt album nigro compositum apparet illustrius;etiam veritas falsitati.Hę Deo causæ sinendi hęreses:tum prætereà,vt eis vtatur flagello,flabello,ad aream suam ventilandum;ad excitandum,quos posuit regere Ecclesiam suam, Episcopos,pastores;sacerdotes,monachos,populum longæ pacis silentio sopitos aut stupefactos;vel otii copiæque abusu prolapsos in vitia castigandum.Quo demũ præstito,transit hyems,abit imber & recedit: iterum tranquillitas, iterum pax,iterum serenitas.Satis illi,agnoscere Nauarchos Ecclesiæ peccata negligentiæ suæ,& odisse;velle sapere,velle vigilare.Iucundum habet, glorificari in illo splendore,quem tandem ac veluti postliminiò reddit Ecclesiæ. eum vtique ad modum,quo fieri videmus, vt post tristem atris nubibus sordidamque cœli faciem,post fragorem tonitruum,stricturas fulminum ilico sole reddito,lætior,quàm vmquam amœniorque serenitas consequatur.

His ego conuictus argumentis tam in se liquidis & irrefragabilibus non potui non satagere meî ipsius,& manum veritati dare trahenti;cùm etiam his meis oculis ipse miracula viderim & signa,quę consignarent mihi ac designarent veram Ecclesiam: aut mendax sim,si negauero; aut cæcus. Quæ cùm,dicente Domino, non possint esse à regno tenebrarum; quid relinquitur,nisi vt accipiamus tamquam desuper missa,descendentia à Patre luminum?atq; adeò,vt sequar vocantem gratiam, & semitam ingrediar veritatis?Itaque conquirere cœpi, qui docerent viam hanc, homines doctos pios,quoscumque potui,conscios meæ linguæ. Docuerunt me, in eamque velut manu duxerunt;& inungentes collyrio oculos, fecerunt, vt iam videam,vbi tenebræ,vbi lux.

Hîc iam ego subsistens, vir Illustriss:,& (quod aiunt) manum de tabulâ, quid nisi te obsecrem per quidquid sacrum est,& contester,vt (quæ ingens tua prudentia) cedas tempori;quando simul & veritati. vt opportunè tandem aliquando demonstres, desijsse te mirari sectam hanc & amare. non vrgeo,vt abruptim:passu potes;modò,ne nimis tardo:priusquam odia Regum in te,iustæque non minùs iræ,quàm potentes,occupent te & prosternant; quorum vnguibus quâ te viâ tuaque eripias aliquando & in saluum efferas,nisi hac vnâ,planè non video.Illam quoque cogita ætatem tuam fini proximam;& ora benignum Deum, ne te tolli sinat tam sine lumine; vt oculos aperiat,& videre te faciat, vbi stes. huc si promoueris & spem admoueris,nihil dubita;illuminaberis.Ipsius enim vocem audis, cùm audis:

nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. Et sanè quem dabis mortalium, qui in incerto viarum suarum positus nō illum ducē habuerit, si petierit? Omnia in hoc vno stare puta, vt adeamus eum, & rogemus auxilium; lumen (inquam) quo iam apti simus à vero falsum discernere. Non accipiemus ab illo, nisi petierimus. Ac, nisi illo dante acceperimus, quod accipimus, quid accipimus? Non in nobis fides nascitur, aut nobiscum; non nostris eam viribus parare nobis, non ingenio possumus vel industriâ. Quidquid ex nobis nascitur, potiùs occidit nos, perdit, destruit; vt filij viperarum matrem. Dei donum fides est purum putum: quod cùm nullo è nobis merito possimus tangere, non est, quòd donatum iri speremus, si neque quærimus. Qui verò quærimus, quod inuenire nolumus; à quo fugimus, longiùs, quàm à terra cœlum abest in hac illud quærenti? Tu quærens Dei donum hoc totum in se cœleste, in te ipso per contumaciam, tam imparis materiæ & incapacis vasculum, quippè puluis vndique & vndique cinis; quid istiusmodi (inquam) tu & ego possimus hic, quid effecerimus nisi terreum? vt potè, cùm nimis imbecillus faber sit & imperitus tua mens & cuiuscumque ex humo hominis ad patrationem tanti operis, quodque manum nesciat nisi artificis, cuius sine fine sapientia, sine mensurâ potentia; quod nemini datur nisi supplicanti, & cum Prodigo filio reuertenti foris à porcorum siliquis ad sinum Patris, quem reliquerat aliquando miserè stultus, alibi quærens verum bonum, certas delicias, quàm in domo natiuitatis suæ, in Ecclesiâ, quæ nos genuit, petrâ, de qua excisi, maceriâ, vnde sumti sumus, Caluinus, ego, tu. Scio, quas ille mecum misericordias operatus sit, multas nimis, magnas nimis; & cum alijs præterea plurimis: non est abbreuiata manus eius, vt etiam ad te extendat se. Omne tibi rei momentum positum in hoc consilio. Quid hæreas, vbi occurrendum quantocyus venienti ruinæ super te? De salute agitur, tuâ, corporis, honoris, familiæ hic, & in æternum animæ. Subditorum quoque tuorum sanguinem, qui in manu tua, caue ne errorum cultro hauriri sinas; habent, qui repetat.

Hoc me vltimùm beneficio, qui planè tuus sum, fac magis tuum, Illustriss: Domine, vt legas hæc, & iterum legas; ab illo scripta & illo studio, qui non amat te nisi propter te, & (licet nunc quidem sectâ diuersus) tam tuî boniqúe tui satagens, quàm vmquam suî. Vale, & vide;

Hagæ, an. 1621.
29. Iunij.

Illustrissimæ T. Amplitudini
deuotissimus amicus & seruus N.

